



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Linda Mariana, Sive De B. Virgine Lindensi

Clagius, Thomas

Coloniae Vbiorvm, 1659

V. Mensis Maji primi dies.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11544

Misericordes oculos, ad se invocantem convertit, tri-
 buo exinde vixdum elapso, filia cum omni levata est
 morbo, tum videndi donata facultate. Jam verò
 Franciscus filiulus, incertum quâ morbi violentiâ
 tactus, quatuor omnino septimanas, sine omni sen-
 su, proinde & sine cibo potuque orani decubuit; ita
 ut dexteri pectoris costæ omnes, in morbi protensæ
 & protusæ, unius palmi latitudine extra pectus emi-
 nerent, sanatus confestim est à voto Lindam per ma-
 trem nuncupato; ita tamen, ut illius morbi vestigium,
 quantumvis exiguum, in prominente illa pectoris
 parte relictum, spectari et jamnum Lindæ, cum à me,
 tum à pluribus aliis potuerit.

C A P U T V.

Mensis Maji primi dies.

UT Ver intra quatuor Anni partes, apud Theo-
 critum (a) ita intra Veris, imò & duodenos to-
 tius Anni menses, principatum Majus obtinet, vel ea
 de causa, quòd placidioris auræ temperie, etiam in
 regionibus ad septentrionem positis, cum terræ, tum
 arborum flores uberiùs evocet. Quid igitur mirum,
 si apud Tiliam quoque Marianam, supra hibernos,
 vernosque alios menses, divini miraculorum aut be-
 neficiorum flores uberiùs proveniant? Quæ sanè u-
 bertas facit, ut, dum eos colligimus, ne opus nimium
 exciteat, compendio nobis maximè utendum sit, &
 tum hoc, tum sequentibus quoque mensibus, eadem
 planè de causa, oratio citra proemia, ut ajunt, adhi-
 benda.

§

I. Mor-

I.

Morbus comitialis abactus.

Tametsi inter falsa & profana Veterum numina, nulla potuerit esse *bona Dea*, nomen tamen bonæ DEÆ occupavit, cui ipsis Calendis Maji sacra apud Romanos fiebant. De quibus inter alia Ovidius, in Fastis:

*Templa Patres illis oculos exosa viriles
Leniter acclivi constituere iugo.*

Arcebantur enim ab iis lacris viri, quemadmodum Macrobius (a) prodidit. Fiebant autem sacra hæc in ædibus Pontificis maximi: unde cum in ædibus C. Julii Cæsaris, qui cum Pontifex maximus erat, pergerentur, P. Clodius muliebri veste indutus, in iis deprehensus, eâ polluit; quâ etiam causâ eum Cicero (b) gravissimè coarguit. Neque apud Lindam neque alio quoquam loco Virgo Deipatæ Deæ sibi nomen usurpat, bonam tamen si non Deam, certè Divam, beneficia, quæ ubique etiam Calendis Maji exhibet, abunde testantur. Etsi verò ad suorum usum beneficiorum omnes promittuè admittat, nescio tamen, quomodo hujus Anni Calendis quasi quædam bonæ Deæ sacra apud suam Lindam agi voluit; quando ex iis, qui eâ die accepta divinitus beneficia recenluerunt, aut virgines, aut matronæ duntaxat fuerunt. Prima ex iis fuit Anna Georgii Schwadop ex Lauternhagen, Heilsbergensis agri pago uxor. Quæ duodecim retro annis, cum adhuc in Trautnau ejusdem municipii villa, fortasse apud parentes degeret, plus

(a) I. Saturn. cap. 12. (b) pro Milone.

in medio anno sacrum morbum pateretur, adeoque
 in morbi bis in diem humi affligeretur, voto revilen-
 te quotannis Deiparæ Lindensis facto, convaluit,
 et exinde quovis anno, prout commodum sibi fue-
 rit tempus, susceptâ Lindam profectioe votû solvit.

II.

Brachii & oculorum vitia doloresque sublati.

Alterâ, quæ iisdem Calendis atque eodem ex lo-
 co, Divæ Lindensi vota solvit, fuit Laurentii ex eo-
 dem pago *Lauternhagen* filia. Proximè ante annum
 quadragesimalis jejunii tempus alteri brachiorum
 vehementissimus insederat dolor, ut quatuor hebdo-
 madas neque labori, neque aded quieti locus ullus es-
 set. Neque tamen illa, beneficio Deiparæ Lindensis,
 brevi locum fore utrique dubitabat, quæ ante qua-
 tuor annos, tanto ab ea fuisset affecta beneficio. Gra-
 tuler nimirum ex oculis laborabat, ut diu lucem so-
 luti non posset. Astulit interim melior animi
 oculis lux, quæ lucem à Diva Lindensi petendam do-
 nuit. Eò cum respexisset, & supplex in vota DEI Ma-
 riam vocâisset, et jam corpori lux sua ita restituta est,
 ut ex eo tempore, magnâ fruatur oculorum incolumi-
 tate.

III.

Pedes sædè exulcerati, iterum sanitati restituti.

Tertia, quæ ex eodem pago iisdem Calendis Maji,
 voti rea apud B. V. Lindentem comparuit, fuit Anna
 Lazari Kretzmer coloni filia. Pluribus ab annis,
 sævus pedum dolor non in tumorem modò,

SI 2

verùm

verùm & in ulcera, fœdum in morem, miserè exuberabat, ut carnibus denique consumptis propemodum nuda hiarent alicubi ossa. Non gradiendi, non calceamenta induendi facultas ulla miseræ supererat; ut, cùm locum mutare necessitas cogeret, magis videretur manibus reptare quàm pedibus. Verùm ubi illa animo ad Divam Lindensem recurrit, confestim & morbus, & dolor omnis jam tum recessit. Cùm veiò hoc iterum anno aliqua recurrentis mali viderentur apparere vestigia, non aliò illa quoque sibi recurrendum censuit; cumque vovisset, quovis anno quoad demum vita sibi superstes esset, Lindam peregrinandi, morbus postliminio ita recedere debuit, ut, cùm nonnullis spectandos exhibuisset pedes, neque recentis, neque veteris morbi, ullum deprehendi vestigium posset.

IV.

Voto etjam ab hæreticis Lindam facto, febris & morbus comitialis depulsus.

Pridie Nonas Majas, non minus quàm ipsis Calendis illustris fuit apud Lindam beneficiis Deiparæ lux. Primus, qui voti solvendi causâ apparuit, fuit Albertus Skorka ex oppido Rhein oriundus, sed fixus in Ducatu itidem Prussicæ sede, apud Seligenfeld pagum, plus duabus leucis distantem Lindâ, agricola & colonus. Erat illi Dorothea filiola, quintum ætatis annum aliquantùm prætergressa, cui ad febrilem, quo laborabat æstus, alterâ sacri Paschatis hujus anni die, comitialis morbus accesserat. Ter intra eam diem vis mali puellulam ita corripuit, ut totum corpus

id instar carbonis nigresceret, omnesque agram jam pro mortua reputarent. Inter eos, qui miserabili spectaculo aderant, fortè catholica mulier est reperta; quæ, ut parentes filiolarum Deiparæ Lindensi devoverent, suavit. Obsecuti parentes bene monenti, votum nuncupant, & continuo sanitas consecuta filiolarum excepit; ut ad id tempus non commodè modò verùm & firmè uteretur valetudine. Quæ dum Albertus recensuisset, adjecit quendam itidem Albertum, è vicino pago Plenen dicto, colonum, filiam septennem omnino linguæ usu destitutam, Lindensi itidem Deiparæ, tanquam omnium depultrici morborum, devovisse. Quod cum improbus sectæ Lutheranæ, aut potius Satanæ Minister cognovisset, ad promptas, de receptis scilicet atque usitatis eloquentiæ prædicantiæ Topicis, contumelias atque minas, et jam multam homini misero adjecit; & supplicii loco aureum nummum (quæ multa homini afflictò juxta ac egeno gravis admodum erat) ab eo, præter omne jus fasque, extorsit. Hoc nimirum est Prædicantes viros misericordiarum esse!

V.

Aliis itidem hæreticis partim comitialis morbus, partim alii pedum morbi abacti.

Eadem ipsâ die, faminae tres Sensburgo oppido tribus circiter leucis à Linda disjuncto, votorum reæ Lindam advenerunt. Atque una quidem earum Dorothea virgo fuit, quæ ante quartum jam inde annum, morbo comitiali graviter laborans, voto Lindam nuncupato, convaluerat. Quo minus autem vo-

ro, quo obstricta tenebatur, ante eam diem se exolveret, obstacula, præsertim ab hæreticis, & multa & varia objecta erant. Reliquæ duæ hoc ipso anno gravissimis pedum doloribus exagitæ fuerant; sed voto similiter Lindam facto, incolumes evasêre.

VI.

Matronæ nobili, ex partu graviter periclitanti, aliisque pluribus variè suscursum.

Eâdem quoque die, quatuor matronæ nobili genere in Masovia natæ, confecto viginti minimum leucarum itinere, pedes Lindam advenêre. Quas inter Marina Domini Gasparis Swidersky, nobilis in Parochia Graboviensi viri conjux, votum, quo se Deiparæ Lindensî obstrinxerat, prior exolvit. Difficillimo in partu jam prorsum deposita, ultimum vitæ spiritum vix trahebat, cum voto Lindam facto, prolem quamvis mortuam enixa, & vitæ & sanitati restituta ipsa est. Primo igitur, quo potuit, tempore, ut majore cum pietate gratias sospitatrici Lindensî ageret, viam quamvis admodum longam pedes ingressa, ac pedes iidem remensa est. Comitatae eam sunt aliatres matronæ, nobili iidem genere illustres, quæ tum pro obtentis variè per Divam Lindenlem beneficiis, tum pro declinandis, quæ metuebantur, periculis, simili pietate idem iter ultro citroque decurrerunt.

VII.A

VII.

A morſu canis rabioſi , & præſente mortis
periculo ſervatus.

Ad quintam diem ante Idus Majas Græca Eccle-
ſia, quemadmodum illius facti docent, natalem urbis
Constantinopolitanæ diem celebrat. Eâdem pror-
ſum die, quaſi natalem, non quidem urbis illius, ſed
ſuimetipſius, diem apud Lindam Marianam egerunt,
aliquot Græci ritus religionisque homines; qui ſexa-
ginta fere leucarum iter pedibus eò conſecerant:
quippe qui ex Bludzien juxta Berozam oppidum ſito
in Lituania, & ad Diſtrictum Malecenſem pertinen-
t loco, uſque veniſſent. Eminebat inter eos Athana-
ſius, vulgò Opanas dictus. Cognomento Bohusze-
wicz, qui à cane rabioſo juxta Szydram, Lituania
eodem oppidum, ad morſus periculoſiſſimè fuerat.
Decem omnino homines illius ejuſdem canis morſu
impetiti & in rabiem acti, non niſi cum inſecuta mor-
te finem mali invenerunt. Evaſit Athanaſius mor-
tem, quin & rabiem, quia ad B. V. Lindenſem, cujus
nomen totâ Lituaniâ celeberrimum ajebat, continuè
ſe per votum promiſſamq; eò peregrinationem ver-
ſit. Ne tamen ignoraret, quo in periculo, & quanto in
diſcrimine vitæ verſatus eſt, debuit aliquem capitis
cruciatum, tres continuos menſes perferre: qui ta-
men cruciatus, ne in furorem aut rabiem deſineret,
quaſi manu benigniſſimæ DEI Matris abſterſus eſt.
Sed & alius ejuſdem Athanaſii morbus, qui cum
proximè elapſâ ætate, octo continuas hebdoma-
das tenuerat, quin & in diſcrimen vitæ omnino ad-
duxerat, eâdem DEI PARÆ manu, ad quam

iterum æger voto nuncupato recurrerat, levarus a-
ctutum est; ita ut exinde viam capeffere, & octua-
ginta circiter leucas, variis Prussiae Lituanique adi-
tis locis, conficere incolumis valuerit.

VIII.

Mulieres duæ gravissimo capitis oculorumq; dolore
exemptæ.

Athanasii, cujus mentionem fecimus, comites
Lindam usque fuere, tum Anna ipsius conjux, tum
vicini in eodem loco inquilini Gregorii uxor Juliana.
Atque Anna quidem è Prussia cum viro domum re-
versa, incredibili capitis dolore excruciatæ est; ut is in
sinistrum præsertim oculum derivatus, sanguinem
unà secum eò derivaret, oculumque illum cruore ro-
tum offunderet. Verùm & hic sive cruor, sive etiam
dolor, eadem Deiparæ Lindenensis manu absterlus est,
posteaquam Anna, quæ tantam in viro suo opem, ab
ea collatam viderat, eandem non minore fiducia,
quàm pietate imploravit. At verò Juliana cum aliàs à
teneris, tum nuperrime per hebdomadas quatuor
doloribus capitis ita vehementibus exercita est, ut
roto illo tempore, neque cibum capere, neque lumen
intueri ullum posset; adeoque tum suo, tum aliorum
judicio pro deposita jam haberetur. Erecta nihilo-
minus est, non ad spem duntaxat, verùm & ad pristina-
nam incolumitatem, ubi peregrinationis Lindenensis
votum concepit. Quam ubi sana & alacris tot mil-
liarium decursu expedivit, etiam Gedanum versus,
pari virium robore atque alacritate, Lindam perrexit.

CAPUT